



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 165. Causa Joannis Parvi resuscitata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Sæcul. XV.
A.C. 1416.

§. CLXV.

Caussa Joannis Parvi resuscitata.

Gerson, to. 5. p. 491. **P**rimis Januarii diebus caussa Joannis Parvi denuo examini subjecta est. Universitatis Parisiensis deputati Cardinalem de Ursinis rogarunt, ut iudices quosdam constitueret, qui discuterent, utrum novem istæ assertiones ad fidem pertinerent vel non, & an salva conscientia approbari valeant? Cardinalis Cameracensis eas fidem tangere judicabat, quia sacræ Scripturæ adversarentur, aut saltem morum disciplinam violarent, ideoque ad Synodi forum pertinere, atque ab ea esse damnandas, velut consecutiones ex generali Joannis Parvi propositione deductas, & jamjam proscriptas. Joannes de Rocha ad eandem Congregationem vocatus, illas nec fidei, nec moribus contrarias, sed S. Literis conformes, adeoque non esse rejiciendas tenuit. Cui Cardinalis Cameracensis sese opposuit, & paucis ex post diebus Gersonius Gallorum nomine, Stephanus Paletz pro Germanis, & Episcopus Atrebatensis pro Duce Burgundiæ Commissarios impense rogabant, ut harum novem propositionum vel condemnatoriam, vel approbatoriam pronuntiarent sententiam. Vix non eodem tempore ad urgendum idem negotium
allata

allata est Regis Galliae Epistola. Interim die 15. Januarii Cardinales Urfinus, Aquilejensis, & Florentinus, antehac a Joanne XXIII. caussae hujus Commissarii nominati, sententiam tulerunt, per quam ob non servatam formam juris Parisiensis conventus judicium, nullum ac irritum esse pronuntiatum fuit.

Sæcul. XV.
A.C. 1416.

§. CLXVI.

Benedicti XIII. conditiones propositae.

Benedictus XIII. ad cedendum jam pluries provocatus, tandem Mense Octobri Anno salutis millesimo quadringentesimo decimo quinto Perpinianum reversus est, ibidemque pari constantia propositionibus, quas olim Valentiae exhibuit, denuo inhæsit. Cum ergo Imperator septuaginta octo annorum senis pertinacia fessus, perspicue cognovisset, eum ejusmodi conditionibus, quæ omnino adimpleri non possent, cessionem suam studiose adstringere, unacum Synodi Legatis Narbonnam rediit, inde in Germaniam reversurus; sed Arragonum Rex unacum Castellæ, Navarræ, & Scotiæ Legatis, aliisque Viris illustribus, qui ex Benedicti obedientia Perpiniæ adhuc morabantur, Narbonnam Legationem decreverunt, Sigismundum rogaturi, ut

Th. Urie
l. cit.